

versa. Diversitas autem hæc in omnibus est creaturis, eo quod ex diversis creatæ sunt elementis. Nam si ex uno creatæ essent elemento, convenientes haberent naturas. Sed hic diuersa elementa cum commiscentur, suas amittunt naturas, eo quod siccum humido miscetur, & calidum frigido commixtum, nec calidum fit nec frigidum: Humidum vero sicco mixtum, nec humidum fit nec siccum. Cum autem quatuor elementa commiscentur, conveniunt, & creaturæ inde exeunt quæ nunquam perficiuntur, nisi per noctes dimittantur & putrescant, & corrumpantur apud visum. Deinde peragit Deus suam creationem, per incrementum, cibum, vitam, & gubernationem. Filij doctrinæ non frustra horum quatuor vobis dispositionem narraui elementorum, in eis namque est arcanum absconditum, quorum duo tactum & aspectum apud visum largientia, quorum opus & virtus sciuntur quæ sunt terra, & aqua. Alia autem duo elementa, nec videntur nec tanguntur, nec quicquam largiuntur, nec locus eorum videtur nec opus, nec vis, nisi in prioribus elementis terra scilicet & aqua, cum autem quatuor elementa non coniunguntur, nihil hominibus artificij quod cupiunt perficitur. Mixta autem & à suis naturis exeuntia aliud fiunt. Super his igitur optimè meditati. *Et Turba:* Magister si diceres tua verba sequeremur. *Et ille:* Jam dixi & bene utique conseruantia tantum dicam verba quæ dicendo, sequimini. Scitote omnes permanentes, quod nulla fit tinctura verax nisi ex nostro ære. Nolite ergo

Æres, tinctura
subiecta & animas & pecunias vestras destruere, ne tristitiam cordibus vestris inferatis. Adijciam & firmamentum vobis, quod nisi prædictum æs in album vertatis, ac nummos apud visum faciatis: deinde rubeum faciatis, donec tinctura fiat, nihil faciatis. Illud igitur æs comburite, confringite, ac nigredine priuate, coquendo, imbuendo & abluendo, quousque album fiat, deinde dirigite ipsum.

Sermo Decimus.

Æris & aqua
coniunctio **A**RISLEVS ait: Scitote quod huius operis clavis est numerorum ars. Accipite igitur corpus quod vobis demonstravi, ac inde tabulas tenues coaptate. Deinde maris nostri aquæ imponite, quæ est aqua permanens, postquam tegeritur, deinde leni imponite igni, donec tabulæ confringantur, & fiant aquæ vel Etheliæ, quod idem est, miscete, & coquite ac simulate, in leni igne, donec brodium fiat saginato simile, ac in sua aqua Etheliæ vertite quousque coaguletur, & num-